

DISSERTATIUNCULA

De

CRIMINIBUS,
QVORUM PER CALUMNI-
AM POSTULATI QVONDAM
SUNT A GENTILIBUS
CHRISTIANI.

Quâ

PLURIMUM VENERANDOS

D^NN. INSPECTORES,
OMNESQVE ERUDITOS,

M. JOH. FRIDERICUS Rôber/
Illustris Ruthenei Rector,

Ad benevolè auscultandum

CHRISTOPHORI SCHMIDII,
GERANI

VALEDICTORIAM,

Submissè, observanter admodum ac humanissimè

INVITAT.

GERÆ, LITERIS MÜLLERIANIS.

1275

98

4



Non infœcundum aded ac sterile est argumentum, si cui in convitiis ac probris, quibus olim Christiani optimi proficisci præter fas & æquum fuerunt à cœcis gentilibus, studiosè pervidendis operam impendere ac tempus lubet. Magna id egerunt industriâ, ac successu laudabili Kiloniensis Academiæ illustre ornamentum, D. Christianus Kortholtus, (a) Matthias item Zimmermannus, Theologus in antiquitate sacrâ versatissimus, & eximiè jampridem de Ecclesiâ orthodoxâ meritis. (b) Silentio veneror alios, qui sparsim & per partes hac de re non nihil exposuerunt. Non ita diu est, cum Rector Academiæ Lipsiensis Magnificus Dn. L. ADAMUS RECHENBERGIUS, Historiarum & utriusq; linguæ P. P. celeberrimus, Fautor singulari observantiâ colendus, eruditissimam dissertationem, benevolè transmisit, quæ Atheismi cavillum, Christianis olim nefariè objectum à gentilibus, egregiè ac solidè convellit. Et vellem sanè, ut, quod gaudium ex tam insigni tantæ dignitatis Viri affectu perceperam, non imminutum aded fuisset ex obitu præmatureo & longè acerbissimo UXORIS Ejus desideratissimæ, SUSANNÆ DOROTHEÆ GEIERIÆ, quæ infelix puerpera, sine nixu exoptato, morte obstetricante, Mariti tristissimi purpuram non parû funestavit, (c) in eò tamen felicissima, quod vivit nunc in cœlo, & eam quidem vitam, quæ est sola nominanda vita, & quod illud fatum ipsa sibi ante cecinit divina CHARIS, & OLOR suavissimus planxit. VIDUO MOESTISSIMO suâ præsto sit gratiâ DEUS O. M. & percuret ipse vulnus tristissimum. Qui percussit, idem & sanet ictum solatii emplastro efficaci, qui afflixit, is & medeatur dolori ex voto. TENOITO! Atque hæc dare memoriæ incomparabilis MATRONÆ, debita in Summum Virum observantia jussit, occasio imperavit. Nunc verò agamus, quod agendum est, & postquam in recensendis ignominiosis veterum Christicolæ cognomentis diu satis immorati videmur; nunc, quàm horrenda & indigna planè pietate ac innocentia Christianorum, ipsis crimina objecta quondam fuerint, quâ fieri brevitate potest, videamus. Igitur quod sacra attinet & religionem; (nam reliqua fors alii reservabuntur tempori) in eo deprehendimus, duplici modò criminum insimulatos fuisse Christianos pri-

prisciores. Vel enim mala iis fuere impacta, à quibus abhorruerunt toto animo, vel, quæ in cultu DEI egerunt bona, in malam raptam partem, in invidiam ipsis atque odium cessere. Ad prius ergo pertinet, quod *atheismi* vulgò sunt postulati; unde & cognomine atheorum fuerunt undique traducti: de quo suo loco jam egimus. Vulgare hoc erat ethnicorum convitium in Christo deditos, idque eam inprimis de causâ, quod unum eamque verum colebant DEUM, minimumque tribuebant gentilium diis. (d) Illam ut cum ignarissimis nôrant; ita ægrè ferebant, suam, cui planè renitus immergi erant, *πολυθεότητα* impugnari, convelli, destrui. Cui enim quis advevit à teneris, id non desuecit temerè; ideoque *ἡ μικρὸν διαφέρει τὸ ἕτως ἢ ἕτως ἔυθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν.* quod scitum acutissimi Philosophorum est. (e) Quo cum accederet, ut bene observavit Rechenbergiana jam laudata dissertatio. (f) quod piissimè Christianorum, ad faciendâ diis gentilium sacra adigi non poterant, sed eorum potius *templa ut busta despiciant, deos despiciant, rideant sacra,* ut est apud Minucium in Octavio: (g) inde conjiciebant tenebriones, gravissimi criminis, quod atheismum vocamus, Christianos esse reos. Verum si hoc *ἔγκλημα* atheismi censendum nomine est; vera utique ac DEO placens religio erit falsa ac DEI ignara: quod quidem auribus cordatiorum animisque absurdum est. Nec enim nisi fictitia gentilium numina despiciata habebant; DEI autem veri & unius majestatem religiosissimè colebant. Ideoque hæc calumnia meritò ab Arnobio & antea ab Athenagora confutata fuit. Sed & *nova* nostris religio objiciebatur, tanquam ingens & enorme crimen. Qua de re Diocletiani, pessimi tyranni, extat interdictum: (h) *neque reprehendi à nova vetus religio debet.* Ubi per novam religionem nihil indicari aliud, quam Christianam, in aprico est. Confirmat hoc Arnobius, (i) quando ait: *objectare nobis consuevistis, novellam esse religionem nostram, & ante dies natam propemodum paucos.* Et alibi (k) accusatos commemorat, quod velint *inauditos cultus in orbem trahere, & ceremonias, antiquitus institutas, novitatis suæ superstitione contaminare.* Ipse quoq; *ἄσω οὐδὲ* Christianorum hostis Julianus, apud Cyrillum Alexandrinum, (l) nostros ita alloquitur: *si quis, quod verum sit, de vobis dispicere velit, inveniet vestram impietatem cum ex audaciâ Judaicâ, tum ex gentilium indifferentiâ & confusione conflatâ.* Ubi religionum chaos confusum nostris tribuitur. Verum non erat novum, quod credebant Christiani, sed in multis cum antiquissimis non solum Judæorum, sed & Ethnicorum scriptis conveniebat. Unde & confusum ex utrorumque opinionibus, calumniabatur *ὁ ἑσθλὰς ἀρτης.* Deinde non semper quò quid vetustius, eò & verius est. *Quasi verò errorum non*

A 2

anti-



antiquitas penissima mater sit, & non ipsa pepererit res eas, qua turpissimas
 Diis notas ignominiosas concinna verunt in fabulis: audacter gentibus respon-
 det Arnobius, (m) antiquitatem jactantibus. Quod verò attinet ad dogma
 verè Christianum de Christo cruci affixo, & pro salute nostrâ mortuo, illud
 quidem videbatur, non erat novum: cæterum, ut Apostolus princeps ait,
 (n) Ἰσραηλίοις μὴ σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρία putabatur, quos sua jam-
 pridem ultra est stultitia. Porro & hac adsperebantur infamiâ Chri-
 stiani, quòd Solem adorarent, venerarentur crucem, nubium cultu distine-
 rentur, quin & asinum religiosè colerent. Verùm quàm levia hæc gene-
 re ipso! quàm falsa re! quàm brevia responsu! Commenta sunt, ex nefario
 in Christianos odio nata, & suspicione febriculosissima. Crimen Heliola-
 triæ indè videtur traxisse originem Tertulliano, (o) quia ad orientis regio-
 nem precabantur Christiani: aliis verò, quod diebus Solis frequenter con-
 venirent in Ecclesias, mœroreque ac luctu sepositò, lætitiæ piè indulge-
 rent. (p) Itaque, quod rectè monet idem optimus Afer, aliâ longè id ra-
 tione factum est, quàm religione Solis. Neque verò crucis religiosi rectè
 Ethnicis poterant dici Christiani. Non enim crucem, sed crucifixum Sos-
 pitatorem cultu prosequuti sunt religioso veteres. Cruces nec colimus, nec
 optamus, dicit Octavius apud Minucium. (q) Unde non malè colligit Jac.
 Ouzelius, (r) Felicis ætate (fuit autem non paulò posterior Tertulliano.
 (s)) nondum in Ecclesia receptum fuisse ullum honorem cruci præstandū.
 Quod si verò deinde, quod propriè Christo tribuendum, à Viris Sanctis cru-
 ci fuit adscriptum; id verò μάλα ῥητορικῶς factum fuisse, quis non hariola-
 tur? Neque vero nisi per calumniam, nubes coluisse dicendi sunt nostri, &
 ut Tertullianus loquitur, (t) inter orandum nubes numerâsse. Quidni enim
 pius preces fusurus, suos in Cœlum devotè sustollat oculos, cum credat,
 gloriosè ibi præsentem esse, etiam phrasi Scripturæ, à quo auxilium expectat
 impetratque omne? Unde non erat, cur cœlicole dicerentur. (u) De asini
 cultu dicam aliâ σὺν θεῶ occasionē: Nunc ergò de bonis agendum, quæ tra-
 ducta calumniosè & crimini data fuerunt Christianis. Nimirum ἀπληρω-
 μῶν καὶ τῶν ἀψεύδων, nihilque tam sanctum est, quod calumnia tentare
 non audeat, ut ex vero Nicetas ait. (x) Experti id sunt optimi religionis
 Christianæ sectatores. Vah quid calumniarum non sevit diabolus, de sacris
 Christianorum innocentissimis & verè sanctis? Primò quod occultè habue-
 runt sua mysteria; nefariè illis exprobratum fuit. Cur (verba sunt Cæciliæ apud
 Minucium (y)) occultare & abscondere, quidquid illud colunt, magnopere nitun-
 tur? cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? Et sanè, quod
 honestum est, propalari non timet; quod verò turpe & inhonestum, pudore
 pro-

prohibente, non potest aut debet publicari. (z) Verum quid sic futurum fuisset de Eleusiniis gentilium sacris, quæ religiosissimè solebant occultare? (aa) Nam & hæc non tantum proloqui, sed & audire nefas erat, adeò, ut, si quis opertanea illa divulgasset, is, legum auctoritate, morte multaretur, (bb) Cur ergo, quod in suis, pudore jubente, prohibebant, id in nostris non erubescabant carpere, qui certa de causâ id facere solebant? & γὰρ δὴ θεμίστι ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτειν ἅπαντα, non nefas est cuncta nõdum initiatis manifestare: quæ ratio Chrylostomi est. (cc) vel totius potius Ecclesiæ veteris, quæ coram profanis & nondum initiatis, quorum in censu etiam Catechumeni erant, singulari cõsilio occultabat sacra, ne garrulâ loquacitate dispergerentur in perfidos. (dd) Et quid si ex usu gentilium, ut non pauca alia, etiam hic mos translatus in Ecclesiam foret? Sanè id erudite, hoc est, pro more suo, ostendit reconditæ doctrinæ Theologus Gebh. Theod. Meierus, antiquitatum Ecclesiæ promus- condus. (ee) Vix ergò jure vitio nostris vertere potuere, quod inter suos usu receptum esse non porterant ignorare infideles. Verùm illi hanc taciturnitatem nostram, velut malam conscientiam, criminantur: unde etiam quasdam execrabiles opiniones de pudicis & innocentibus fingunt, & libenter his, quæ finxerunt, credunt: experientiæ ductu conqueritur lacte oris & Christianæ mentis Cicero, (ff) Lactantius. Neque verò dubium est, quin ex occultatione isthac per calumniam ortæ sint execrabiles de nostra religione opiniones. Recensent has sanctissimi Patres, Athenagoras & Tertullianus, nequaquam id facturi, si in tam nefandorum criminum cœno revera hæssissent Christiani. Ille igitur ita: (gg) epulas detestandas & concubitus incestos fingere de nobis audent. Hic ita: (hh) dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii & pabulo inde, & post convivium incestu, quod eversores luminum, canes, lenones scilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiâ procurent. Itaque duo inprimis fuere hic objecta piis, nempe ut laudatus vocat Athenagoras, Θύεσα δειπνα, epule Thyastee, & οἰδιπόδειοι μίξεις, Oedipodii concubitus. (ii) Videtur autem omninò diabolica hæc criminatio occasionem captâsse ex doctrinâ Christianorum, de Augustò Sacro-sanctæ Coenæ Dominicæ Sacramento, ad gentiles perperam & malitiosè delatâ atque ab imperitis divulgatâ: quamquam & insana calumniandi libido idem confinxisse per summum nefas potuit. Omnium loco respondeat Felicis Octavii, cujus verba ita habent: (kk) de incesto convivio fabulam grandem adversum nos demonum coitio mentita est, ut gloriam pudicitie deformis infamia aversione macularer. Insertâ retorsione justâ, tandem addit: Sic incesti fabulam necitatis, etiam cum conscientiam non habetis. At nos pudorem non facie, sed mente præstamus: unius matrimonii vinculo libenter in-



*heremus : convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. Cæterum non parum fecisse Agapas seu charistia sacra ad contumeliam ipsam Christianis confidam, vix dubitare licet. (mm) Erant illæ tertia quasi pars Cœnæ Dominicæ, ut Justellus vocat, (nn) quibus inopes pascebantur à locupletioribus ex charitate Christiana. Et quis neget, crimini quoque ansam dedisse, quod ex præcepto Magistri sui (oo) mutuò se amore amplecterentur, suamque illam charitatem osculo deinde in sacris testarentur pii? (pp) Odio suffusus animus vel optimè facta pessimè interpretatur & insuper habet, nec perpendit causam, cur facta sint. Sic ante lucem conveniebant Christiani, cum metu prohibiti de die solennia sacrorum celebrare non possent : & tamen nocturnæ congregationes illis vitio dabantur. Ita in exomologesi se appronabant in genua, vel, ut Tertullianus loquitur, (qq) *presbyteris adolvebantur & charis DEI adgeniculabantur* : at hinc (proh grande nefas!) factum legimus, ut *antistitis ac sacerdotis colere genitalia & quasi parentis sui adorare naturam* dicti sint τῶς ἕξω. (rr) Sed de infanticidio, (cujus antè mentionem facit Tertullianus) aliquid insuper addendum est. Id verò Cæcilius apud Minucium iis recenset verbis, quorum vel memoriam pius exhorrescit. Sed ut de veritate ipsâ & Christianorum innocentiam fatius constet, subticenda non sunt. Ita verò habent : *De initiandis tirunculis fabula tam detestanda, quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incantos, apponitur ei, qui sacris imbuatur, is infans à tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur : hujus, proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispartunt, hæc fœderantur hostiâ, hæc conscientiam sceleris ad silentium mutuum pignerantur. Hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Imo, mi bone Cæcili, essent tetriora omni scelere vel atrocissimo, si vera essent, quæ calumniaris per ignorantiam. Fuit sanè horrendum crimen & Christianis sæpenumero obiectum; quod ex Apologeticis passim patet scriptoribus. (ss) Sunt equidem, qui hæreticis impurissimis, sub Christianorum nomine quondam latitantibus, aut à vulgo gentilium pro verè Christianis habitis, feralia ista & flagitiosa facta tribuunt & imputant. Et sanè Augustinus idem propè de Cataphrygibus, Pepuzianis & Quintillianis refert, (tt) quod ex Minucio antea produximus : nec absentit Epiphanius, qui à Gnosticis tenellum fœtum in quodam mortario pistillis contusum & melle deinde, pipere aliisque rebus conditum, devoratum fuisse, tradit. (uu) Sed enim, cum, ut Desiderius Heraldus non ineptè colligit, (xx) nullus Apologeticorum convitium istud Pseudo-Christianis tribuit, quod nullo fieri negotio potu-**

potuisset ; Ideò placet ἐπέχειν , & doctiorum decisioni rem totam committere , exemplo τῆς πάνυ Thomasi , (γγ) quem DEUS servavit quàm diutissimè ! Atque sic devolvimur commodissimè ad VALETE nobis DICTURUM , Optimum Adolescentem , CHRISTOPHORUM SCHMIDIUM , GERANUM. Hic à parvo admodum puero Præceptorum apud nos fidei traditus atque industriæ , in pietate , virtutumque & bonarum literarum studio operam impendit sedulam. Et quoniam ab eorum ore pependit avidè auscultando & obtemperando jugiter ; ideò factum per benedictionem divinam est , ut magis atque magis in artium & lingvarum studio provectus , omnium sibi amorem ac benevolentiam facilè conciliaret. Si enim quisquam alius, hic sanè omnes boni discipuli numeros exactè adimplevit, & vel vultu lædere pietatem Præceptoribus debitam , erubuit & religioni sibi duxit. Suboli meæ instituendæ præfectus , partibus suis egregiè defunctus est, siue ad pietatem Deique cognitionem excitandi erant , siue literis , quæ in teneram cadunt ætatem, imbuendi. Ut non magnopere dubitem, quin eandem fidem & sedulitatem Viro Σαυμασίω D. JAC. THOMASIO, Lipsiæ suæ, imò & eruditi orbis jubari, cujus svavissimæ Proli formandæ, & proxeneta quidem Poëtarum hujus seculi Phosphoro, D. JOACH. FELLERO, Lipsiensi itidem Professore & Bibliothecario celeberrimo, Amico meo & Fautore magno, Schmidium iri admotum spes certissima facta est, nunquam non probaturus sit. De cætero eos in linguis & artibus , notitiâ quoque rerum Theologicarum & Philosophicarum, prout in Gymnasio tractari possunt & solent, comparavit sibi profectus , ut dignus sit habitus , qui ad acroases Academicas dimittatur, præcipuè cum non cruda eò studia propellat , qui plerorumque omnium mos est. Cras , DEO feliciter annuente , ultima vice conscendet Cathedram, de Salute regis Salomonis proluxa & luculentâ oratione dicturus. Quò factò, & metris, vario idiomate conceptis , unde nec Syra nec Chaldaica exultant, quibus se debere non ignorat, gratias nuncupabit. Quare ut cum PLURIMUM VENERANDI DNN, INSPECTORES , tunc & DOCTISSIMI VIRI QUIQUE , CUJUSCUNQUE SINT ORDINIS AC DIGNITATIS , benevoli ac frequentes auscultare DICTURO velint , etiam atque etiam rogamus. ABITURO precamur gratiam DEI & quicquid boni nomine venire potest ! λόγον προεπημνηστικὸν carminicè conceptum Amico habebit desiderabili HEINRICUS JOHANNES ROEBER / GERANUS.

P. P. GERÆ 4. Kal. Febr. A. O. R. M Ioc LXXXii.

NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) *Comment. de orig. & nat. Christianismi, ex impiâ cavill. et bnic. sent. it. comment. in Plin. & Traj. epist.* (b) *diss. Hist. Theol. ad illud Tertull. fiunt, non nascuntur Christiani.* (c) *factum id est superiori Anno, d. 2. Nov.* (d) *vid. Arnob, L. VI. adv. gent. non procul ab init.* (e) *l. 2. Nicom. c. 1.* (f) *Sect. 3. 0. 3.* (g) *p. m. 76. 77. 78. ed. Ouzelii.* (h) *Cod. de Malefic. cit. Jos. Arnd. Lex. antiq. pag. 181.* (i) *l. 2. contra gent.* (k) *l. 1. adv. Gent.* (l) *l. 7. adv. Jul.* (m) *l. 1. adv. Gent. p. m. 34.* (n) *1. Cor. I, 23.* (o) *c. XVI. Apolog.* (p) *vid. Albaspin. not. in concil. Eliberini can. 36. & Concil. Cartbag. can. 82.* (q) *p. m. 284.* (r) *not. p. 286.* (s) *vid. Fr. Balduini proleg. in Min. Octav.* (t) *c. 24. Apolog.* (u) *lib. XII. C. de Jud. cit. Arnd. l. c.* (x) *in Manuele Comn. lib. 2. pag. 89.* (y) *p. m. 90.* (z) *ita prope August. tom. 4. de diversis question. quest. 114.* (aa) *vid. Joh. Meurs libr. sing. de Eleusin.* (bb) *vid. Nicet. ad Naz. or. 39. & Apulej. Miles. XI.* (cc) *in 2. Cor. bom. XVIII.* (dd) *v. liber inter opera Ambros. de iis, qui mysteriis inicianur.* (ee) *§. IV. comment. de recond. vet. Eceles. Theologia. Add. Rixn. de vet. Christ. circa Euch. instit. c. V. §. 9. 12. 13.* (ff) *lib. VII. Instit. c. 26. p. m. 274.* (gg) *Apolog. p. 6. & 39. cit. Dn. Rechenb. disp. c. 3. §. 5.* (hh) *Apolog. c. VII (ii) vid. Jo. Hen. Heideggeri. libert. Christ. à lege cib. vet. c. 8. §. 11.* (kk) *p. m. 302. sqq.* (ll) *p. 307.* (mm) *vid. Albaspin. l. c. p. 453.* (nn) *not. in Cod. canon. vet. Eccles. p. 191.* (oo) *Joh. XIII. 34. 35.* (pp) *vid. Rixn. l. c. c. VII. §. 8. 9. sqq.* (qq) *de pœnit. vit. Wow. in Minuc. p. m. 85. ed. Ouzel.* (rr) *v. Minuc. p. m. 85.* (ss) *adducit illos Elmenhorst. in Minuc. p. m. 87.* (tt) *de heresibus c. XXVI. p. 146. & c. XXVII. p. 152.* (uu) *contra bares. c. XXVI.* (xx) *not. ad Minuc. p. m. 86.* (yy) *in Schediasm. histor. p. 34.*





Kortholtus, (sacrâ versatiss
 Silentio vene
 runt. Non
 L. ADAMUS
 celeberrimus
 sertationem,
 nefariè objec
 nè, ut, quod
 ram, non imm
 UXORIS Eju
 quæ infelix p
 fimi purpur
 nunc in cælo
 illud fatum i
 planxit. VII
 percuret ipse
 tii emplastro
 Atque hæc da
 Virum obser
 agendum est,
 larum cogno
 indigna plan
 quondam fue
 attinet & reli
 deprehendin



rgumentum, si cui in
 Christiani optimi pro
 cecis gentilibus, stu
 re ac tempus lubet.
 essu laudabili Kiloni
 m, D. Christianus
 logus in antiquitate
 orthodoxâ meritis. (b)
 re non nihil exposue
 ensis Magnificus Dn.
 e utriusq; linguæ P. P.
 as, eruditissimam dis
 illum, Christianis olim
 vellit. Et vellem sa
 Viri affectu percepe
 o & longè acerbissimo
 OTHEÆ GEIERIÆ,
 tricante, Mariti tristis
 felicissima, quod vivit
 ninanda vita, & quod
 x OLOR suavissimus
 gratiâ DEUS O. M. &
 em & sanet ictum sola
 i ex voto. GENOITO!
 NÆ, debita in Summum
 c verò agamus, quod
 sis veterum Christico
 ic, quàm horrenda &
 ipsis crimina objecta
 as, Igitur quod sacra
 untur tempori) in eo
 tos fuisse Christianos
 pri-

